ARCH. PONT. UNIV. GREGOR. SJHS

+

Rde. Pater

P. C.

Nescio unde exordiar hanc meam ad Rvam epistolam, toto Oceano
avulsus, utinam non emoria, mei amicissimi Athanasij: utrum veni-
am rogaturus tantae oblivionis, an indignabundus tam vasto & immenso
intervallo, quod inter me, & te intercedit, Ego, qui in Orientem
toto ferebar impetu, ut nosti, in Occiduo orbe me invenio; sic
numine, vela nostra aspirante, & propitio, cogitationesque nostras
in contrarium agente. Huc itaque, & ventis satis propitijs, appuli,
bimestri spatio in itinere absumpto; à PP. Brasilis humaniter acceptus,
& consuetis Societatis obsequijs, ac etiam, hospitaliter habitus sum.
Hondum quietum assecutus, statim ad vineam domini in interiora
terrae missus sum, (tyrocinium credo Evangelicae missionis positurus)
cum Patre linguae gnaro: ubi, confitendo Lusitanos, & Angolanos
(quorum ibi est ingens numerus, dicendum in officinis saccharicis diu
noctuque desudant, vix memores suae salutis) catechisando, doctrinando,
& concionando duos ~~et~~ amplius menses absumpsi, donec Socio meo, valetudine den-
tato, iussu P. Visitatoris Hiacynthi de Magistris, iussus sum revo-
cari, qui mutato consilio, quod ita magis e gloria Dei videbatur, me
in Collegio Bahyensi, quod est primarium huius Provinciae, & totius
Brasiliae metropolis, subsistere voluit, ad praelegendam Theologiam
moralem, & ad concionandum. approbavit ultro provincialis hanc
P. Visitatoris mentem, meque, post illius depositionem a Visitato-
ris munere, subinde in cathedra Theologica confirmavit, cui
praelegendae etiamnunc, magno numero auditorum, incumbo. Vides
mi Pater quomodo divina providentia ludit in rebus humanis.
Qui in Brasiliam, Europâ nostra posthabita, animarum causa
contendimus, uni loco & cathedrae alligamur, vix ullo operae pre-
tio, pene nullo animarum. Cum hoc studio, neque enim feriari
possumus, (quanquam hoc coelum valde in otium influit, & pigra
ac elanguida reddit subiecta corpora) libellum scripsi, de huius
Coeli temperie & benigno syderum influxu. ubi multa curiosa et
digna scitu inspersi, fere tui causa, quod ita me abeuntem
libere meministi, dum mihi ultimum vales, in litore Libris,
complexum dares, rogaveris. Libello, titulum dedi. Oeconomia
Coeli Brasiliensis. Hunc A. R. P. nostro dedico. Exemplar in
Belgium mitto imprimendum meliori typo. Ubi videbis simul
superaverit, quomodo Te colo, & amo, pluribus in locis honorifi-
centissimam faciendo mentionem, parce si in modestiam tuam
peccas, litera non erubescit, omnia mihi mereris, mi Athan-

171

+

Hic unà satisfacio Epistolæ tuæ ad me datæ A. 1659, in qua me
rogabas quædam pro mundo tuo Subterraneo, qualia sunt de Monte
Pico in Teneriffa, de fluxu et refluxu maris, &c. eiusmodi
quæ cum curiositate tracto, tui unicè causâ, in libello. In eodem
ex certo, definio, verum terræ ambitum, et semidiametrum, pro-
portionem veram graduum cum Leucis Hispanis. Novam
Lunæ et circuitum phasim. De paradoxis Indiarum. De ventis,
eorumque qualitatibus. De prodigiosis plantis. De generi
rubri coloris in Indiis Occidentalibus. De Meteoris huic cælo
particularibus. De monstris. De Anni tempestatibus intra Torridam
Zonam. Denique de Novo planetarum motu, contra sensum
communem. ubi neque motum Raptûs. retrogradationes Solis
et reliquorum planetarum, Auges et Antauges. Eccentricos &c.
De Lunæ diaphaneitate. De Stellis et maculis Australibus. &c.
non possum omnia referre propter temporis brevitatem
non potui adhuc me certificare de mineralibus; faciam per
otium et per tempus. Quod unicè te peto, est ut quamprimum
adeas nostrum P. Generalem, et mihi obtineat licentiam, ut
imprimi possit in Belgio, quod opusculum mitto. Quoniam
hic et lectum iam est à Patribus Theologis, et approbatum
cum Authoris verecundia; annuente Provinciali huius
provinciæ P. Josepho da Costa Siciliano, viro et virtutibus
et ætate maturo, et egregiè docto, utpote qui in hac provincia
Theologiam cum laude legit. Scribo etiam super hac re
A. R. patri, casu quo tamen literæ perderentur, facies offi-
cium amici, et videbis quomodo hoc opusculo intuas laudes
non minus verè quam amiciter et eloquenter incurro.
Mitto tibi Epistolam dedicatoriam, et ad Lectorem, si non sati
latinitatem olet, ignosce, ex talatium fumus, non alii
possunt à tyrasilo calamistri expectari, quam barbarismi.
Verum tibi pater amantissime negotium hoc commendo. Accepta à R.
P. V. licentia imprimendi, facies illam transmitti in Belgium ad
P. Provincialem + cui nomen Franciscus de Kleyn, cui super — + flandro Belgÿ,
hoc negotio scribo, qui illam communicabit illi Patri, cui li-
belli imprimendi, cura incumbet, quem puto fore P. Jacobum
Rulandum quocum de tota re transegi, hic coram; qui, a
provincia sua huc missus Hollandorum et Gallorum causa, ad
instantiam P. Provincialis. puto autem è re divina esse, si
ad suos redeat, quia hic neque hollandi, neque Galli sunt, illi
quorum causa unicè est missus, fructuosius in sua Patria
pro gloria Dei laboraturus. sed neque eius talenta, quas
eius indoles mihi prafert et genius, debent in hoc solo
barbaro, nullo opere et specty fructu, sepeliri. vellem R. V.
de eo ex occasione apud Germaniæ Assistentem, mentionem
iniiceret, debeo illi multum, quia me frequentius lacessiuit ad
scribendum

4

Haec de rebus meis. Iste mi Pater, vellem etiam scire, quid agas
quid moliaris, tam longe seiunctis; nam miserere quod nihil de
operibus tuis intelligam. Sed neque de Provincia mea quidquam
scio, nisi quod omnia bellis flagrent, succensa toto Turcâ
Christiani nominis hoste. Scripsi cum in Lusitania essem Opusculum
de Coniunctione Magna Anni 1663 cui titulus, Mercurius Caelestis
sed quia in Occidentem avulsus sum, lucem non subijt. Ubi ostendo
quomodo in Coniunctione magna Iovis & Saturni in Trigono igneo
inceperit Imperium Turcicum; & quomodo in eadem, si caeli
asterismis credendum est, incipiet desinere. Faxit Deus
astronomica prognostica, probet rei eventus. Multa praeterea
habeo indicia, ab hoc Imperatore Leopoldo, victum iri, si superi
secundent vota, non tamen accidet sine magna sanguinis effusione.
Quae de signorum qualitatibus sub Zona Torrida scripsisti in Opere tuo
Lucis & Umbrae, plane conveniunt. nescio quis genius te agit, quod
etiam de absentibus & invisis, tam rectè pronunties. hoc ipsum
libello meo inserui. Non omisi meminisse P. Riccioli, qui in
opere suo Geographico, parum modestè me perstringit, & ut ne
mini parcit, nostra cavillatur. Is quo, à multis viris gravibus
iure reprehenditur, nescio quomodo P. N. id ferat, aut conniveat.
vix enim ullus illi placet, ex quibus tamen totum opus suum com-
pilavit. nisi modestiae meminissem poteram iure in eum excandescere
non tam mei causa, quam aliorum, quos venerari debuisset. Ego
carptim paucula, hinc inde, modestè coarguo, ne videar in
charitatem peccare, neque eius censuram plane dissimulasse.
Nisi in varia distractus essem, maturante Classe reditu in Lusitaniam,
ut variis amicis respondeam, quaedam particularia volui ad R.am V.am
perscribere de mirabilibus huius terrae. Inter reliqua sunt.
Inveni hic herbam multis foliolis & ramusculis distinctam
quae vel levissimo contactu digiti, tota statim elanguescit.
vocant herbam delicatam. Sufficit unum foliolum in extremitate
vel levissimè attigisse, ut omnis reliqua innumera foliorum
series elanguescat & se complicet, quae demum post semihorium
circiter iterum evolvitur & se explicat. Hanc sol occidens
claudit, oriens iterum explicat. Est hic avicula quaedam
colorum varietate admirabili, oculis gratissima, maximè ad
aspectum solis; haec primum est vermiculus, tum, fit musca
volans, exinde in avem formatur, floribus dumtaxat vivit,
cum his emoritur. prius tamen, cum mortem praesagit, infixo
rostro in trunco arboris se suspendit, itaque suspensa & sopita
semestri integro ceu mortua ex appensa manet, donec iterum
cum floribus revalescat. vidi hanc saepissime. Mitto alia, quae in
secunda libelli mei parte fusius expono. & finem facio scribendi, iam
enim naves Lusitanae in Lusitaniam renavigaturae, saccharo &
tabaco, sunt merces huius terrae, graves, stant in procinctu
ut anchoras subducant. Interim D. amicissime & charissime
vale. & tui Valentini, qui te colit & amat, apud Deum & [illegible]
memor vive. Ex Collegio Bahyensi 21 July A. 1664.

R.ae V.ae in Xto Servus & amicus
Valentinus de Castro, nomen in
cognomine, vel Castrus in amore &
obsequio.

Ao P. Athanasio Kircher da
Companhia de Jesus que Deos
guarde

No Collegio Romano.

Roma